

1570 *ne demitterent animos ; varios eventus bellorum esse ; modo  
huc , modo illuc fortunam adspirare : tantum ne quidquam in  
ipsis pristinae virtutis , ac constantiae deperiret , sperandum , in-  
tegris viribus , ac classe , non diu hostes praesenti hoc victoriae  
fructu letos fore .* Inde Sfortia Pallavicino , Celsio , ac Cana-  
lio in concilium vocatis , eorum sententias exquirat : multa  
de Auriae voluntate , de exitiali lue , quae adhuc per Vene-  
tam classem grassabatur , de hostium viribus , de maritimis  
tempestatibus , de infidis stationibus , animis obversabantur ;  
ex quibus progredi non absque periculo posse videbantur .  
Sed haec tanti non erant , ut Zannium a suscepta de profe-  
ctione in hostes sententia deicerent ; quinimo Francisci Duo-  
di quinquערemium , Marci Quirini sinus Adriatici , Francisci  
Throni damnatorum triremium praefecti sententias poscit ; qui,  
*sociatis classibus , audendum , inque hostem vadendum ; ab-  
nuentibus ducibus , revertendum , censent .*

*Zannius ob  
Leucosiae  
amissa nun-  
tium duces  
in consilium  
advocat .*

*Sebastiani  
Venerii sen-  
tentia de  
Turcis ag-  
grediendis*

At Sebastianus Venerius , qui legatus in Cyprum designa-  
tus , classem in Tamasum trajecturus conscenderat , *non ambi-  
guis sententiis exiguum hoc quidquid erat temporis conteren-  
dum , sed omni amota contentione , progrediendum , acerrime  
contendebat : Leucosiae amissione pristinae virtutis incitamen-  
ta minime deprimi , aut obtundi oportere ; in victoriae cursu  
praeda ac divitiis delinitos , molles oscitantesque victores a vi-  
ctis saepe oppressos fuisse ? Cur idem Turcis quoque evenire  
non posse arbitrentur , quos vino , epulisque obrutos , ac de-  
mersos ingluvies , ac cupido a militaribus excubiis ad socor-  
diam traduxerit ? Neque vero expectandum , ut , insequenti  
anno classe aucta , audaciores effecti , cito aut facile vinci ac  
superari nequeant . Non satis esse , subsidia militum in Tama-  
sum inferre , quae & navibus tuto importare haud liceat , &  
invecta oneri potius obsessae urbi sint futura : impavido animo  
itineri insistendum : quidquid fortuna vel ad Cyprios suble-  
vandos , vel ad praelium cum Turcica classe committendum  
objecerit , id fortiter obeundum .* His summa contentione at-  
que impetu a Venerio , strenuo atque acerrimo viro , dictis ,  
Zannius statim ad Marci Antonii Columnae triremem , tribus  
praconsultoribus stipatus , accedit ? Aderant Columna ipse ,  
Joannes Andreas Auria , Neapolis , ac Siciliae triremium praefecti :